

Letter 27: 7 May 1519, Basel, Capito to Antonio Pucci

This is the dedicatory letter preceding Capito's translation of John Chrysostom's *Homilia de eo quod dixit Apostolus, Utinam tolerassetis* (Basel: Cratander, 1519), ff. Aiiir-v. The translation was reprinted in Cratander's 1522 and 1525 editions of Chrysostom's *Opera Omnia*, in both cases without the dedicatory letter.

Reverendo in Christo patri ac domino Domino Antonio Puccio Episcopo Pistoriensi, V. Fabritius Capito s.d.

Quanta nobis autoritas tua praesentis fuit, Antoni Pucci reverendissime, ex absentis opinione indies magis atque magis gliscente coniiicimus, qui dotes istas, ut est nostra simplicitas, ne nunc quidem satis perpendimus. Tametsi pro se quisque ferme aut comitatem aut morum dignitatem, aut facilitatem in dicendo aut in gerendis rebus incomparabilem industriam extollit. Quemadmodum et nos ingenii vim et acumen istud veteremque eruditionem potissimum suspicimus, cuius imaginem a te prandio acceptis praebuisti non vulgarem, ubi ad sana priscorum iudicia de literis pronuncians videbaris provocare; tua igitur sic divisim consyderata magnitudine, quae iunctim exuperat captum nostrum, eo tandem evasimus, ut nobis nonnihil blandiamur de numinis pontificii favore, quibus hinc legatus obtigisti, non solum notissimus, quod cum multis forte commune est, sed et charissimus observandissimusque omni tum Galliae, tum Hispaniae. Nam utrobique munere legationis magnifice perfunctus es, quod profecto cum paucissimis obtines. Praeterea nobis de te plurimum gratulamur propter adiunctissimam necessitudinem Pucciae domus cum Medicea, propter fidem et integritatem omnibus perspectissimam, propter animum liberalem praestandisque beneficiis deditissimum. Atque adeo pontificiam maiestatem existimamus, summam propensamque in supplices confoederatos voluntatem te legato declarasse, id quod alii viribus, nos ingenio utcunque agnoscemus, cuius fructum, siquis erit, in Christi atque sedis apostolicae gloriam, universum destinamus. Qua de causa nunc obiter vertimus libellum divi Chrysostomi, cui titulum fecit De eo quod apostolus dixit, Utinam tolerassetis paululum quiddam insipientiae meae, haudquaquam inelegantem neque indoctum. Quo vel uno videre licet, quod ex accurato potius examine circumstantiarum quam ex odiosis verborum pugnis constet intelligendae scripturae modus. Hunc qualisqualis est, amplitudini tuae, reverendissime pater, modo ne velut abiectiorem fastidias, avidissime nuncupamus. Non tui docendi gratia, qui pridem huiusmodi, haud dubium, et bene intellecta et assiduo meditata tenes, sed in hoc tantum nuncupamus, ut animum propensorem omnino significemus, quos quidem arctissime devinctos non cessas novis indies beneficiis multo arctius obstringere. Si quid minus quam pro debito rependo, virium est, non voluntatis culpa, quin dum maxima interim reddenda instituo, has minutias persolvo difficulter. Usqueadeo superat propositum conficiendi negotii facultatem. Atqui est animi liberalis aestimasse, non quantum, sed quo quidvis affectu praestiteris.

Vale felicissime. Basileae, Nonis Maii. Anno M.D. XIX.